



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 115. Oblata a Princibus Italiæ ad hoc bellum subsidia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. contra Turcas impliciti essent, certam  
AC 1464. pecuniæ summam quotannis penderet,  
 eaque Regi Hungariæ traderetur, cum  
 hic ad conterendos infideles ceteris ma-  
 gis idoneus, & jam belli diuturnitate ex-  
 haustus esset. Ad hæc quivis Princeps  
 pro facultatum suarum ratione subsidia  
 spondit; e re enim fore arbitrabantur  
 cuncti, ut præprimis Ferdinandus octo-  
 ginta millia, Veneti centum millia, Dux  
 Mediolanensium septuaginta, Florentini  
 quinquaginta, Dux Mutinæ viginti,  
 Marchio Montisferrati quinque aureorum  
 millia suppeditarent. Nullus tamen ho-  
 rum Oratorum hanc subsidiorum distribu-  
 tionem acceptavit; causabantur enim  
 omnes, se publico suorum Principum  
 mandato non esse instructos, de cetero  
 ea, quæ jam proposita fuissent, illis per-  
 scripturos, seque eorundem consensum  
 præstolaturos ajebant.

## §. CXV.

*Oblata a Principibus Italiæ ad hoc  
 bellum subsidia.*

Solidos sex menses hæc Principum con-  
 sultatio tenuit; tandem Ferdinandus  
 Rex promisit, se aureorum nummum  
 millia, quingentosque equites, ac toti-  
 dem pedites per Epirum, antiquæ Græ-  
 ciæ Provinciam missurum, ea tamen lege,  
 ut



ut census in eam diem Romanæ Eccle- Sæcul. XV.  
 siæ debiti, qui ad longe majorem sum- A.C. 1464.  
 mam ascendebant, remitterentur. Veneti singulis annis quingenta (\*) millia in Hungariam mittere spondebant. Enimvero magni momenti res erat; siquidem ipsi jam aliunde cum Hungaris adversus Turcas bello impliciti & pro sustentanda propria classe, & alendis copiis graves admodum sumptus facere compulsi erant; hac tamen conditione nova hæc promissere subsidia, si decimæ Ecclesiarum, vigesimæ Judæorum, & trigessimæ Civium indulgerentur. Dux Mediolanensis sub eadem lege duo millia equitum, ac mille pedites regiis Ferdinandi copiis jungendos offerebat, demum Florentini mille equites, quingentosque pedites, vel quotannis duo aureorum millia polliciti sunt: reliqui vero omnino nihil rescripserunt. Tandem totum negotium amplis quidem pollicitationibus absolutum, nihil tamen pro Ecclesiæ ac Religionis bono præstitum est, iis etiam, qui multa offerebant, unice sua commoda procurantibus. Nihilominus Pontifex non destitit pecunias Hungaris subministrare, eo quod Veneti, qui cum Matthia foedere juncti erant, bellum prosequerentur.

## §. CXVI.

(\*) Apud alios Scriptores legitur: quinquaginta.